9

N° 2249

erga

Nullis uideor mihi officijs satisfacere posse, tuis in me meritis, cum
uideo tibi res meas adeo cordi esse, et praecipue tam fideliter
et multis rationibus me per literas hortari ut hic maneam:
Quibus etiam libenter acquiescerem. Ut pote profectus a
Domino et homine mihi ~~amantissimo~~ amicissimo, et cui plurimum
alioquin tribuo, nisi hoc et ante decreuissem, et ex aliorum
etiam sententia. Nam hoc tibi persuasissimum esse uolo
me profectionem hanc suscipere, non quod aut diffidam
+aliorumue aut dubitem, de Regis ~~aliorum~~ + erga me Voluntate, cum
tam me sentiam ab omni culpa alienum, ut neque praesente
neque absente Rege ex conscientia aliquem metuam, sed
quod hanc profectionem diu ante decreuerim: Atque
ex consilio Parentum, Necessariorum, et affinium
meorum. Et puto te meminisse cum ante annum
eadem de re ageretur in Consilio, in eadem sententia
me perstitisse, nisi quod dum pertinax uideri nolo, nobis
aliud sentientibus tandem cessi. Quod si non fecissem
non paterer nunc eas calumnias quibus undique traducor.
Et Velim hoc apud Deum contingat animae meae, quod
Regi et patriae dum eam conseruare conor (quod praecipue
e re Regis esse puto.) praestiti. Qua in re cum nihil
amplius praestare possim, et cum facile mihi molestiae

(1568)

Vigl. ad H. A 26.

Tendeb ... Vigl. ad H. 427

Koninklijk Huisarchief Den Haag
A 11/XIV C/Ea-1
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/169

excitari possit, et hoc ipsum in controversiam vocari
an illi mihi amici succurrere debeant, quarum rerum iam
nonnulla se aperiunt indicia, vel abs te peto utrum
praestet, ut et amicos meos ab hac ~~[illegible]~~ perplexitate, et me a peri-
culo liberem? An ut sic suspectus maneam, Idque solus qui
Juramentum a Rege recenter exactum praestare nolui,
ob quod vel solum in me coniiciuntur omnium oculi, Et
vel praecipue ut discedam interpellat conscientia, cui
satisfacere non possum dum hic maneo. ~~[illegible]~~ Noti enim
quam male possim dissimulare, quod necesse est ut faciam
et plus etiam quam alias, si aut Regi, aut Gubernatrici placere
velim. Malo itaque ferre, quicquid libere et aperte agenti
accidere poterit, quam aliis placere, cum detrimento
libertatis, patriae et propriae salutis. Spero itaque his
rationibus perpensis, te non improbaturum consilium
hoc discessus mei, Et committam reliqua Deo, ut
constituat de ~~[illegible]~~ eis, ut ad gloriam nominis sui pertinebit.
Tibi vero hoc persuade amiciorem me te habere nemine,
cui quidvis libere imperare potes. Amor enim tui eas
egit radices in animo meo, ut minui nullo temporis
aut locorum intervallo possit. Precorque ut ro[...] vicissim

Koninklijk Huisarchief Den Haag
A 11/XIV C/Ea-1
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/169

in me sis animo quo semper hactenus fuisti.
Agoque tibi gratias pro Epistola, quam scribis Regem
libellum ad me missurum ~~quod tamen~~ relinquo voluntati
eius. Ut faciat, prout ex re et usu videbitur, quamvis
enim discedam ob ea quae dixi, non desinam esse
Maiestatis eius obsequentissimus Vasallus, paratus ad
omne obsequium, quod illaesa conscientia praestare
possum, nec tam procul recedam quin redire possim,
cum intellexerim operam meam quam hactenus
fuit Regi esse gratiorem.

Epistola ad Comitem Egmundanum, sub
discessum missa, ad quam se refert, alia ad
Hornensem Comitem missa.

Koninklijk Huisarchief Den Haag
A 11/XIV C/Ea-1
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/169